LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
PRORECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

In indice lectionum, qui in hiemem 1851—52 editus est, conati sumus historiae dogmatum notionem ita explicare, ut hoc sacrarum literarum genus etiam catholico theologo magis probaretur quantumque ad subtiliorem doctrinae christianae cognitionem comparandam posset afferre, ostenderetur. Qua in tractatione alius disciplinae theologicae, theologiam biblicam dico, mentio facta est, cujus apud nostros similis est conditio, atque historiae dogmatum, quaeque vel graviore premitur suspicione. Recentioris quidem temporis theologi catholici universe et historiae dogmatum et theologiae biblicae non solum agnoscunt consentaneam verae fidei notionem, sed etiam eximiam ad scientias sacras promovendas utilitatem concedunt. Quod tamen ad hunc usque diem admodum pauci in utroque genere, praesertim in theologia biblica adstruenda, elaboraverunt, id ex parte tantum penuria doctorum virorum comprehenditur, qui omnino in nobis theologiae exegeticae, quae latissime patet, operam navare potuerunt, atque etiam illud imprimis considerandum est, quod usitata theologiae biblicae tradendae ratio totam hanc disciplinam apud multos in odium quoddam et impietatis suspicionem induxit. Quae quum ita sint, nunc de theologia biblica idem conabimur efficere, quod ante de historia dogmatum periclitati sumus monstrare. Itaque, Commilitones humanissimi, theologiae biblicae ideam tali modo vobis describere in animo est, ut perspiciatis, multum abesse, ut ejusmodi doctrina a theologia catholica prorsus abhorreat, ut imprimis possit inservire huic augendae atque ornandae. Talem tractationem instituendam etiam lubentius suscepi, quoniam, notione theologiae biblicae probe exposita, ipsius historiae dogmatum propria vis et natura clarius etiam cernitur, illaque doctrina, quamquam ipsa ad theologiam exegeticam pertinet, tamen universae theologiae, praesertim dogmaticae, est conjunctissima.

Igitur vix est, quod diserte moneam, theologiam biblicam, de qua nunc potissimum agimus, non eo sensu esse accipiendam, quo cunctam exegeticam theologiam significat, quae cum theologia systematica et historica universam theoreticam theologiam constituit. Arctiore quodam et magis circumscripto sensu theologia biblica hic intelligitur, quo est arte ac via confecta complexio atque descriptio universae

doctrinae divinitus revelatae, sacrae scripturae libris sparsim contentae[1]). Ejusmodi disciplina merito theologia biblica[2]) κατ' ἐξοχήν nominatur, quia ceterae disciplinae ad studium sacrorum librorum spectantes aut manifesto tanquam doctrinae auxiliares apparent, aut certe, ut ipsa singulorum librorum interpretatio seu exegesis proprie dicta, ad illam contendunt atque in ea summum finem assequuntur[3]).

Nemo non videbit, quantum habeat utilitatis ejusmodi disciplina, quae omnia doctrinae divinitus revelatae capita, per singula scripta sacra sparsa, in unum corpus colligat atque juxta naturalem quendam ordinem rebus ipsis desumptum disposita uni quasi oculorum obtutui objiciat. Theologia biblica sic descripta, quam nemo, nisi qui magnam vitae partem libris sacris explorandis impendit, accurate adstruere poterit, profecto subtiliori tractationi theologiae dogmaticae et ethicae novum quoddam et eximium subsidium atque adjumentum afferret[4]).

Sed pluris etiam necesse est theologiam biblicam ii faciant, qui, traditione auctoritateque ecclesiastica rejecta, sacram scripturam pro unico religionis christianae fonte ac fundamento habent. Unde factum est, ut potissimum homines protestantes nostrae doctrinae operam navarent, quamquam admodum diverso modo atque consilio id fecerunt[5]). Initio quidem theologia biblica apud illos nihil aliud erat, nisi collectio quaedam locorum biblicorum, quae dicta probantia vocantur, juxta usum dogmatices electorum, dispositorum, explicatorum. Postea ab iis, qui eximiam quandam pietatis et religionis speciem affectabant, jejunis ac nimis subtilibus theologorum systematis spretis, loci biblici ad illud pietatis studium alendum imprimis apti colligebantur, ut doctrina antiqua etiam in antiqua forma proponeretur.

---

[1]) Staudenmaier, Encyklopädie der theol. WW. 2. Aufl. B. 1. p. 430, hanc definitionem exhibet: „Biblische Theologie ist die Darstellung der Religion, wie sie in dem Inhalte der ganzen heiligen Schrift gegeben ist, ohne die weitere Entwickelung, die in der Kirche geschichtlich vor sich geht.“ Cf. Dobmayer, Systema theologiae cath. T. I. p. 55. Von Drey, kurze Einleitung in das Studium d. Theol. p. 78.

[2]) Nonnulli viri docti (cf. Hagenbach, Encyklop. u. Method. d. theol. WW. 2. Aufl. p. 206 sqq.) malunt illam dogmaticen biblicam nuncupare. Sed licet sacrae scripturae doctrina maxima ex parte ad genus dogmaticum pertineat, tamen ubique etiam morum praecepta ex dogmaticis sententiis deducuntur cumque his permixta sunt, ita ut illi ipsi viri docti, ne quid doctrinae biblicae prorsus omittant, cogantur capita ejus ethica saltem tanquam consecutiones vel additamenta tractare. De Wettius praeterea, ut illam significationem praeferat, eo adductus est, quod omnino theologiae dogmaticae temerariam quandam et falsam notionem sibi effinxit (cf. ejus Biblische Dogmatik A. u. N. T. 3. Aufl. p. 39). Nec vero minus arbitrarium nobis quidem videtur esse discrimen, quod vir doctissimus Berlage (in libro Christkathol. Dogmatik B. I. p. 250.) inter theologiam et dogmaticen biblicam statuit: „Erstrebt man eine Darstellung der christlichen Lehren und Lehrweisen in ihrer Urgestalt, in ihrer ganzen biblischen Eigenthümlichkeit, so bildet dieses, insofern es mehr in exegetisch historischer Form geschieht, das, was man biblische Theologie nennt. Verbindet man aber mit einer solchen exegetischen Darstellung des ursprünglichen christlichen Lehrbegriffes zugleich wissenschaftliche Reflexion und eine strenge systematische Entwickelung, so entsteht die sogenannte (!) biblische Dogmatik.“ — Ceterum si cui theologiae biblicae significatio, quippe quae potius exegeticae theologiae conveniat, minus placeat, potest is nostram doctrinam theologiam sacrorum ~~bibliorum (Theologie der Bibel)~~ nuncupare, quo nomine omnis significationum error praecluditur.

[3]) Jam his, quae dicta sunt, conspicuum erit, theologiam biblicam theologo esse quidem desiderabilem, at sacrorum scriptorum interpretationem necessariam. Illa sine hac nulla potest esse, haec etiam per se summa cum utilitate colitur. Quam ob rem nisi utriusque disciplinae tractandae concessa fuerit opportunitas, merito interpretatio erit anteponenda.

[4]) Respice illa praeclara, quae Berlagius (l. c. p. 258 seqq.) de exegetico-biblico theologiae dogmaticae munere profert, quaeque Hirscher (in libro Die christl. Moral. 4. Aufl. B. I. p. 19 seqq.) de morum praeceptis e sacris libris petendis pari modo proponit.

[5]) Cf. von Coelln, Biblische Theologie B. I. p. 18 seqq.

Itaque iis via erat strata, qui tempore sequenti docte vel indocte systemata doctrinae biblicae confecerunt, ad quorum normam doctrinam publice receptam, utpote homines protestantes suo jure, examinarent eamque vel impugnarent vel confirmarent[6]).

Sed nondum ea theologiae biblicae idea emerserat, quae disciplinae hujus maxime propriam naturam atque vim constituit quaeque theologorum studium praecipue commovet. Primus enim J. Ph. Gabler fuit, qui oratione quadam habita[7]) illam ideam perspicue proposuit omnique ex parte collustravit. Antea sacra scriptura fuerat tractata, ac si unius viri manu esset confecta: iam Gablerus id intendebat, ut singulorum sacrorum librorum propria indoles necnon temporum, locorum, maxime auctorum, a quibus oriundi essent, diversitas diligentius circumspiceretur, imprimis vero successiva doctrinae biblicae explicatio atque progressus, temporum decursu sensim confectus, ante oculos poneretur. Quo factum est, ut nova quaedam atque subtilior theologiae biblicae notio prodiret, ut esset arte et scientia suscepta complexio ac descriptio historico-genetica universae doctrinae religiosae in libris sacris V. et N. T. propositae. Hanc definitionem deinceps omnes theologi retinebant, ad hanc normam jam omnes theologiae biblicae expositiones accommodabantur.

Atque etiam hoc ultimo tempore potissimum theologi protestantes in hac disciplina elaboraverunt, apud catholicos ad hunc usque diem passim tantum de theologia biblica scholae habentur paucissimaeque scriptiones huc spectantes in lucem editae sunt[8]). Summopere vero dolendum est, quod theologorum protestantium libri, de hac materia compositi, maximam partem ita comparati sunt, ut non tam christianae religionis et scientiae incrementum promoveant, quam utramque labefactent ac dissolvant. Id enim illi theologi, utpote rationalismo, qui dicitur, dediti, potissimum consectantur, ut demonstrent, doctrinam biblicam, quam nos quidem modo supernaturali ab ipso Deo manifestatam esse credimus, naturali prorsus modo, variarum religionum orientalium opinionibus philosophorumque, maxime Platonicorum, placitis paulatim accersitis atque permixtis, originem duxisse; eandem doctrinam etiam postea, id quod jam historiae dogmatum tribuunt[9]), simili ratione similibusque concurrentibus causis multifarie commutatam

---

[6]) Hase, Evangelische Dogmatik. 4. Aufl. p. 34.

[7]) Oratio de justo discrimine theologiae biblicae et dogmaticae regundisque recte utriusque finibus. Altorfii 1787.

[8]) Attamen longe a vero abessent, qui existimarent, illud theologiae exegeticae genus, quod nunc sub nomine theologiae biblicae separatim tractatur, quod ad materiam ipsam attinet, apud catholicos hucusque prorsus neglectum jacuisse. Etenim non solum in operibus numerosis, quibus antiquitates biblicae tractantur, semper locus invenitur, ubi saltem V. T. doctrina, temporum diversitate non omnino neglecta vel breviter vel fusius exponitur, sed etiam praestantiores theologiae dogmaticae et ethicae cultores successivam divinae revelationis progressionem et perfectionem in singulis sacrae doctrinae capitibus proponendis probe respiciunt (v. not. 4). Illo vero liber, quem D. Haneberg sub titulo Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung (Regensburg 1850, iterum 1852) edidit, quum praecipue revelationis partem externam et quasi corpus persequatur, theologiae biblicae, quae est revelationis pars interior et quasi anima, tractationem tanquam complementum suum vehementer efflagitat. Opus denique, quod scripsit J. A. B. Lutterbeck sub titulo Die neutestamentlichen Lehrbegriffe etc. (Mainz 1852. 2 Bde.) non minus maximam partem res continet, quae in theologiam biblicam cadunt, quamquam certas theologorum protestantium opiniones nimis incaute sequitur, id quod probe monstratur illius operis examine a doctissimo viro F. Stiefelhagen (Wiener Zeitschrift für die gesammte kathol. Theologie. B. V. H. 1. p. 113 seqq.) instituto.

[9]) Diligenter theologiae biblicae et historiae dogmatum ratio dignoscenda est. Theologi protestantes plerumque has disciplinas ulla alia re inter se differre negant, nisi quod theologia biblica religionis christianae vicissitudines ex solis sacris bibliis proponat, historia dogmatum vero e scriptis ecclesiasticis temporis posterioris, ita ut haec mera illius sit

variatamque esse; tandem illam ipsam, in quo potissimum D. F. Strauss (in libro Die christliche Glaubenslehre etc.) elaborat, multis vicissitudinibus superatis ac naturalis processus circulo confecto, jam nostro tempore in nihilum reverti, unde fuerit orta! Tali modo religionem christianam jam sublatam esse isti sibi videntur, quamquam nihil aliud adepti sunt, nisi ut tota ista res theologicas tractandi ratio ad absurdum pervenerit. Quare recentissime etiam multi viri docti protestantes, illorum levitate atque audacia perterriti, ad saniorem religionis revelatae aestimationem reversi sunt.

Jam vero talis rei theologicae conditio nostros etiam acrius debet instigare, ut studeant in his quoque finibus hostem profligare, futili illi et falsae doctrinae doctrinam sanam ac veram opponere, propositaque revelationis genesi religionis et doctrinae christianae divinam veritatem monstrare, siquidem cujusvis rei propria natura atque indoles nulla alia ratione lucidius perspicitur, quam ejus originem et progressum diligenter investigando. At haec geneseos et progressionis perfectionisque sensim consummandae idea estne fortasse a ratione divinae revelationis omnino rejicienda? Quis tandem id contenderet, qui ullam quamvis levissimam sacrae scripturae cognitionem haberet! Est enim in facto posita res, Deum sapientissimum, quum primae institutionis, in paradiso Adamo et Evae impertitae, semina paene interiissent, Abrahami gentem ex omnibus elegisse, eamque, certis temporum intervallis missis prophetis, in rebus ad religionem pertinentibus magis magisque erudivisse, ut populum sibi praepararet, ex quo tempore constituto generis humani Salvator posset prodire. Postquam videlicet patriarchis multifarie se manifestavit, Hebraeorum gente sensim aucta casibusque gravissimis praeparata, per Moysen Deus novas atque gravissimas revelationes edidit cultusque divini instituta, ad religionem confirmandam aptissima, ordinavit. In quo Mosaicae theocratiae fundamento tempore postero prophetae, proprie dicti, antiquae Messiae promissionis indicia clariore in dies luce collustrantes[10]), jam novae Messianae theocratiae spirituale aedificium mox superstructum iri vaticinabantur. Tandem apud Judaeos necnon apud ceteras gentes status religionis ita erat compositus, ut jam a Filio Dei unigenito, natura humana induto, tota divina revelatio posset absolvi complerique.

Sed hoc quidem facile conceditur, revelationem libris sacris V. T. contentam paulatim et quasi per gradus a Deo communicatam esse, eandemque revelatione, per Christum dominum et apostolos ejus facta, esse completam atque consummatam: at vero illud imprimis quaeritur, num geneseos et successivae explicationis notio etiam ad ipsius N. T. revelationem et doctrinam possit referri. Faciunt hoc quidem theologi protestantes fere omnes, namque non solum inter Jesu Christi et apostolorum doctrinam gravissimum et in summam rei cadens discrimen statuunt, verum etiam singulorum apostolorum doctrinam tanquam simili ratione diversam tractant praecipueque Petrinismum, Paulinismum et Joanneismum

---

continuatio. Verum naturale generis utriusque discrimen in eo potius ponendum est, quod theologia biblica ipsius revelationis, pedententim inde ab Adamo usque ad Christum a Deo hominibus impertitae, progressum persequitur, dum historia dogmatum tantum enarrat, qua ratione illa doctrina revelata secundum totam substantiam per Christum et apostolos absoluta, paulatim, urgentibus temporum circumstantiis, formulis dogmaticis magis magisque descripta et amplificata sit.

[10]) „Quo propius ad Messiae tempus accedimus, eo magis sese explicant hujus Redemptoris characteres; annuntiatio fit clarior, spes firmior, ardentior exspectatio. Sic aurora surgentis solis nuntia crescit paulatim et lucem spargit uberiorem, donec solem ipsum praesentem conspiciamus“ (Liebermann, Institutt. theol. T. III. p. 421. ed. Mogunt. 1836).

quendam secernunt, quae genera totidem theologiae N. T. gradus diversos, decursu temporis sensim ortos, esse volunt[11]). Quo facto nimirum consequuntur, ut Petrinismi formam ecclesiae catholicae adscribere, superiorem vero Paulinismi speciem aetati orthodoxi protestantismi tribuere, summam denique et absolutam Joanneismi formam, duabus illis inferioribus jam superatis, tanquam futuri temporis religionem sibi ipsis queant vindicare.

Si autem rem ex vera ipsius natura perpendimus, non praeoccupati formula ista partim res historicas tractandi levitate partim philosophiae pantheisticae commentis oriunda, nullam aliam differentiam inter Jesu Christi et apostolorum doctrinam possumus agnoscere nullumque alium de una ad alteram factum progressum concedere, quam quae inde profluxerunt, quod Salvator noster discipulos suos de infimo populo electos, ut bonus educator, sensim erudire atque ad munus apostolicum sustinendum praeparare debuit, quae quidem eruditio ac praeparatio non nisi Spiritus Sancti dono, die Pentecostes impertito, omnino absoluta est[12]). Sane in ipsius Domini doctrina, quam per tres fere annos proponebat, alius progressus conspicuus est nullus, quam quod Redemptor noster propter perversas opiniones de Messia ejusque regno a populo Judaico pertinaciter retentas, caute tantum, ne tumultus moverentur, maxime ab initio, suam doctrinam divinam de regno Dei spirituali deque sua ipsius dignitate tanquam hujus regni regis proferebat, donec, praejudiciis illis aliqua saltem ex parte sanatis, ea, quae antea paucis electis communicaverat, jam palam et in solemni judicio potuit profiteri[13]). In apostolorum vero doctrina eo minus ullum discrimen, quod quidem in ipsam rei essentiam cadat, potest agnosci, quod omnes simul ejusdem Spiritus Sancti donum acceperunt, quo ornatus quisque eorum in plenam atque perfectam divinae veritatis cognitionem, quantum generis humani salus postulat, modo supernaturali inductus est. Omnis doctrinae apostolicae varietas non nisi in ejus forma est sita. Varia nimirum apostolorum ingenia, quorum naturalem indolem Spiritus Sancti illuminatio non exstinxit, sed sanavit, auxit, super propriam naturam elevavit, modo diverso eandem doctrinam divinitus acceptam proponerent necesse erat. Magis etiam diversitas hominum instruendorum ceterarumque circumstantiarum, sub quibus docebant aut scribebant, postulabat, ut id diversa et hominibus temporibusque accomodata ratione

---

[11]) Huic commento nimis favisse operi supra laudato Lutterbeckii imprimis vitio vertendum est, cf. prae ceteris B. II. p. 151 seqq. nec non p. 250—53. Sed tamen vir ille doctus, ubi praejudiciis non perturbatur, catholicam rei contemplationem bene servat, ut si B. II. p. 300 ita loquitur: „Blicken wir auf den in seinen Einzelheiten eben so mannichfaltigen als in seinen wesentlichen Bestimmungen durchaus mit sich einigen Ausdruck des alle Apostel durchdringenden religiösen Bewusstseins zurück: so dürfen wir die Gesammtlehre derselben wohl am passendsten mit einem musikalischen Kunstwerk oder Concert vergleichen, welches das Thema: „Jesus ist Christus der Sohn Gottes“ behandelnd von den neun Verfassern des neuen Testamentes in der Art ausgeführt wurde, dass dabei dem Matthaeus die tiefste Stimme oder der Bass, dem Paulus der kräftige und volle Tenor, dem Johannes der höchste Sopran und den Uebrigen die mannichfach einfallenden Mittelstimmen zugefallen waren, und dann beim Vortrage selbst eine, der Welt ungekannte und ungeahnte himmlische Harmonie das Ganze durchtönte. Träte an die Stelle dieser Harmonie ein Unisono oder eine Dissonanz, so wäre das Kunstwerk zerstört; und liesse sich im apostolischen Lehrkreis eine erstarrende Einheit oder eine zersetzende Verschiedenheit wahrnehmen, fehlte dem petrinischen Element das paulinische oder diesem jenes oder beiden das johanneische und umgekehrt: so wäre das Ganze nicht ganz d. h. nicht wahrhaft katholisch.“ etc.

[12]) Cf. Marc. 10, 37. Matth. 16, 22—23. Luc. 18, 31—34. Joann. 16, 25 et v. 12 seqq.

[13]) Cf. Joan. 6, 15. Matth. 16, 16 c. v. 20; 13, 10 seqq. Marc. 4, 11 seqq. Joan. 4, 26; 9, 37; 10, 25; cap. 7. Matth. 21, 15—16; 26, 64. Joan. 18, 37.

facerent[14]). Atque in hoc ipso nostra theologia biblica N. T. potissimum elaborabit, ut genuinam doctrinae Jesu Christi et apostolorum unitatem atque concordiam diversis formis expressam diligentissime proponat itaque novo quodam argumento illius veritatem divinamque originem confirmet.

Jam ad finem hujus disputationis properantibus nobis etiam certa sacrorum librorum ratio probe indicanda est, qua neglecta theologia biblica gravissimos errores omnino nequit effugere. Etenim perversissime faceret, si quis in theologia V. T. proponenda ita ageret, ac si libris sacris cujusdam auctoris vel aetatis cuncta illius auctoris vel aetatis doctrina religiosa esset comprehensa, ita ut, quidquid illis scriptis non exhiberetur, id ne in cogitatione quidem vel fide auctoris vel aetatis fuisse existimaretur, putareturque unumquodque doctrinae caput eo ipso tempore originem duxisse, quo primum in aliquo scriptore inveniretur. Talis sacrorum librorum V. T. tractatio[15]) ideo de summa levitate reprehendenda esset, quoniam singuli data occasione sine ulla systematis absoluti proponendi cura conscripti apparent. Magis etiam castigandus esset, qui N. T. sacra scripta simili ratione tractaret. Namque non solum in his eadem conscriptionis ratio atque in libris V. T. conspicua est, verum etiam, id quod summi momenti est, infallibile ecclesiae catholicae magisterium expressis verbis docet[16]), Christi domini et apostolorum ejus doctrinam non totam in scriptis sacris contineri, sed ex parte „quasi per manus traditam ad nos usque pervenisse."

Haec fere, Commilitones humanissimi, placuit vobis proponere, quibus notionem et dignitatem disciplinae theologicae collustrarem, quae nostro tempore etiam a scriptoribus catholicis saepius commemoratur quaeque, rerum divinarum promovendarum studio denuo inflammato, etiam in nostris doctos cultores mox certo inveniet. Valete.

---

[14]) Praeclare jam laudatus libri Lutterbeckiani doctus judex (l. c. p. 161) disserit: „Nein eine Entwickelung können jene Unterschiede nicht genannt werden; sie sind ja auch nicht nach einander, sondern neben- und in einander: darin aber liegt ihr göttlicher Character. Wie ich die Farben des Regenbogens keine Entwickelung nennen kann, wie ich bei ihnen keinen stufenweisen Fortschritt von der einen zu der andern anzunehmen vermag: eben so lassen sich auch die Unterschiede bei den Verfassern des N. T. in das Nacheinander einer Entwickelung nicht hineinzwängen. Diese Unterschiede beruhen auf nichts Anderem, als auf der Verschiedenheit des menschlichen Organs, welches die göttliche Offenbarung nur in seiner und in keiner andern Weise aufzunehmen und zurück zu strahlen vermochte. Allerdings kann ich von der göttlichen Wahrheit sagen: dem Petrus strahlte sie tiefer in den Willen hinein, dem Paulus weiter in die Vernunft, dem Johannes tiefer in's Herz; aber dazwischen ist keine Entwickelung, noch ein Fortschritt, sondern Jedes ist vollkommen." — Atque hoc loco alium quendam librum silentio non praeteribo, qui nuper prodiit ornatus titulo Biblische Theologie des N. T. von C. F. Schmid, herausgeg. von Weizsäcker. 2 Thle. Stuttgart 1853. Est enim gratissimum documentum, etiam viros doctos protestantes ad rectum historiae et doctrinae sacrae intellectum redire. Non possum, quin pauca ex eo promam, quae imprimis nostram materiam spectant. Th. II. p. 83: „Vergleicht man nun aber die Lehre des Herrn mit der seiner Jünger, so wird man sich weit mehr wundern über die grosse Uebereinstimmung, als über den Unterschied." Th. I. p. 7. „Was aber jenes Verhältniss zwischen Johannes und den Synoptikern betrifft, so wird sich uns zeigen: wie, ungeachtet alles Unterschiedes, im Wesentlichen die Einheit in der Tiefe ruht, wenn man nur sich nicht durch die Form täuschen lässt; und diese Form erklärt sich in ihrer Mannichfaltigkeit auch wieder von selbst." Th. II. p. 84: „Unverkennbar ist, dass sie (die Apostel) alle innerhalb einer Mitte bleiben, welche eben so original als geeignet ist, das Ganze der Lehre vor Ausartung zu bewahren, und dass sie — eine Folge der Einheit sowohl als der Freiheit des apostolischen Geistes — sich gegenseitig sowohl zu ergänzen als zu bestätigen geeignet sind." Cf. etiam p. 85.

[15]) Attamen in hoc plerique peccaverunt, qui hucusque libris de theologia biblica (nec non de historia dogmatum) conscribendis operam dederunt. Prae ceteris et singulari quodam studio ratione tam perversa is theologiae V. T. locus solet tractari, qui de angelis praesertim malis et de animarum immortalitate futuraque corporum resurrectione agit.

[16]) Conc. Trid. Sess. IV. decret. de Canon. Scriptt.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

MICH. JOS. KRUEGER, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Evangelium Joanneum explicabit diebus Lunae, Martis et Veneris hora IX—X.
II. Zachariam et Malachiam prophetas interpretabitur diebus Jovis et Veneris hora IX—X.
III. Epistolam catholicam Barnabae Apostolo adscriptam explicabit die Veneris hora III—IV et die Saturni hora IX—X.

ANDR. MENZEL, Lic. P. P. O. Des.

I. Doctrinam catholicam de sacramentis et de rebus post mortem futuris tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora X—XI.
II. Apologetices reliquam partem tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
III. Repetitiones disputatorias dogmaticas moderabitur die Saturni hora X—XI.

ANT. PASCHKE, Lic.

I. Hermeneuticae et Criticae sacrae praecepta tradet diebus Lunae et Mercurii hora VIII—IX et die Martis horis VIII—IX et II—III.
II. Ethicae christianae prolegomena et partem priorem docebit diebus Jovis et Saturni hora VIII—IX et die Veneris horis VIII—IX et II—III.

ANDR. THIEL, Lic.

I. Historiam ecclesiasticam ab aevo apostolico usque ad Constantini magni tempora docebit ter per hebdomadem.
II. Jus canonicum tradet quater per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's sphaerische Trigonometrie etc. übersetzt von Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
II. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.

IV. Aut Geographiam physicam et Climatologiam tradet, aut Opticam, Catoptricam et Dioptricam exponet et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. O. Des.

I. Psychologiam empiricam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora VIII—IX.

II. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.

III. Aristotelis de metaphysica libros praecipuos offert interpretandos bis per hebdomadem diebus et horis definiendis.

IV. Exercitationes examinatorias et repetitorias instituet semel per hebdomadem die et hora definienda.

FRANC. BECKMANN, Dr. P. P. E.

I. Aut Platonis Phaedonem aut Sophoclis Oedipum Coloneum interpretabitur ter per hebdomadem hora VI—VII.

II. Taciti Germaniam explicabit semel per hebdomadem hora definienda.

III. Historiam Varmiae enarrabit ter per hebdomadem hora VI—VII.

IV. Selecta poetarum Germanicorum carmina tractabit bis per hebdomadem horis definiendis.

W. JUNKMANN, Dr. P. P. E. Des.

Lectiones, cum advenerit, indicabit.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

De Celso philosopho veritatem christianam impugnante pro assequendo Stipendio Scheillio-Bussiano unus tantum e Commilitonibus obtulit opusculum hisce verbis:

„Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem „stultitiam.“ S. Paul. Apost. ep. I. Cor. I, 23.

Alia usus rerum proponendarum dispositione auctor brevius quidem et dilucidius quaestionum absolvisset: judicii tamen et stili in eo tanta est facilitas et exercitatio, ut nihilominus themati satisfecerit. Quapropter Ordo Theologorum libenter eum praemio dignum esse judicavit.

Resignata scheda prodiit nomen: Dominicus Korioth, Stud. Theol.

III. De Chronologia et de ano disseret diebus Lunae et Jovis hora XI—X

IV. Aut Geographiam phy aut Opticam, Catoptricam et Dioptricam expon s physicis instituet diebus Martis et Veneris ho

MAX DES.

I. Psychologiam empiri ebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jov

II. Metaphysicam docebi isdem diebus hora vespertina V—VI.

III. Aristotelis de metaph terpretandos bis per hebdomadem diebus et l

IV. Exercitationes examin semel per hebdomadem die et hora definiend

FF E.

I. Aut Platonis Phaedon loneum interpretabitur ter per hebdomadem hor

II. Taciti Germaniam ex hora definienda.

III. Historiam Varmiae er ra VI—VII.

IV. Selecta poetarum Ger is per hebdomadem horis definiendis.

W. ES.

Lectiones, cum advenerit,

STIPENDIU USSIANUM.

De Celso philosopho verita assequendo Stipendio Scheillio-Bussiano unus tantum e Commilit

„Nos autem praedican em scandalum, Gentibus autem „stultitiam." ost. ep. I. Cor. I, 23.

Alia usus rerum proponendarum dilucidius quaestionum absolvisset: judicii tamen et stili in nihilominus themati satisfecerit. Quapropter Ordo Theologorum lil vit.

Resignata scheda prodiit no heol.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 R 2 G 3 B 4 5 6 M 7 8 W 9 G 10 K 11 12 13 C 14 Y 15 B 16 17 M 18 19